

cum ad pubertatem pervenerit, a sponsalibus resiliere, tamen debet statim pubertatem adeptus id facere, alioquin postea non poterit, quia ex quo non statim contradixit, censetur tacite sponsalia ratificare, præsertim si sponsi nomen adhuc patiat, aut familiaritatem continuat, vel munera det, aut recipiat. Covarruv., in lib. iv *Decretal.*, part. 1, cap. 5, § 1, n. 2; Engel, lib. iv *Decretal.*, tit. 2, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 15; Pirrhing, *ibid.*, n. 7, notabil. 2; Sanchez, cit. disp. 51, n. 15, et alii passim; statim autem dicitur resiliere, si circiter intra triduum resiliat, seu contradicat, quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum, seu triduo proximo fit. L. *Sententiis* 3, cod. *De errore advocatorum*, ibi: « Ex continenti, id est triduo proximo contradixisse, » l. *Cum specialis* 18, De iudiciis, ibi: « Illico autem, id est intra triduum proximum sine ulla dilatione. »

(20. Facultas resiliendi a sponsalibus, impuberibus a jure concessa post adeptam pubertatem, habet locum, tam in foro interno quam in foro externo, ita ut ex solo impuberis dissensu post adeptam pubertatem absque alia causa in utroque foro licite dissolvi possint sponsalia; jus enim consulere voluit immaturo et mutabili puerorum iudicio, ne tanto vinculo indissolubiliter seu irrevocabiliter obligari possint, sicque tenendum est omnem obligationem sublatam esse etiam in foro conscientie. Arg. cit. cap. *De illis* 6, cap. *A nobis* 8, De desponsat. impuberum, cum similibus. Sic doctores supracitati (68).

(21. Talis autem facultas resiliendi a sponsalibus probabilis non est censenda concessa impuberibus, si ipsa sponsalia juramento confirmaverint. Glossa, in cit. cap. *De illis*, verb. *Judicio Ecclesie*; Ancharan., in cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus; Covarruv., in lib. iv *Decretal.*, part. 1, cap. 5, § 1, n. 3; Sanchez, lib. 1 *De sponsalibus*, disp. 51, n. 22; Becanus, tract. *De sacram.*, cap. 43, q. 26, n. 7; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 8, et communior aliorum, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 16, quamvis ipse ibi cum aliis sentiat oppositum; et nostra conclusio clare desumitur ex cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod si impuberis sponsalia juramento confirmaverint, ea dissolvere non amplius possint, juncto ejus summario, in quo sic expresse habetur: « Qui juravit cum aliqua contrahere, si non subest impedimentum, per censuram ecclesiasticam contrahere compellitur. » Quamvis tamen non sit improbabilis opposita sententia propugnata a Reiffenstuel, *loc. cit.*, et ab aliis ab ipso allegatis. * Confer Colet, *loc. cit.*, p. 103*.

(22. Sponsalia de præsentibus, seu matrimonium ab impuberibus nulliter contractum valet in vim sponsalium; seu transit et re-

(68) Negat id Colet, *loc. cit.*, pag. 106. Antoine autem *De matrimonio*, cap. 1, in resp. ad quæst. 5, de sponsalibus agens: « Impubes, inquit, cum per-

solvitur in sponsalia de futuro. Vide verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 26.

(23. Matrimonium autem nullum ex aliquo essentiali defectu, ut celebratum sine proprio paroco, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. Vide dict. verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 2 et 3.

(24. Ad valorem sponsalium non requiritur præsentia parochi et testium. *Communis*, ac certa, sic enim pluries declaravit sacra congregat. Concilii, ut testantur Sanchez, *De matrimonio*, lib. 1, disput. 12, n. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 22, et alii. Vide *infra*, n. 139.

(25. Item ad valorem sponsalium non requiritur consensus aut consilium parentum, aut eorum sub quorum cura existunt sponsalia contrahentes. *Communis*, arg. cap. *Sufficiat* 2, caus. 27, q. 2, ibi: « Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur: » et concordat cap. *Veniens* 12, De sponsalibus; et conc. *Trid.*, sess. xxiv, *De reform. matrimonii*, cap. 1. (26. Ut licite tamen contrahant filii sponsalia, requiritur saltem, ut prius desuper consulant parentes, quamvis eorum consilium non semper sequi teneantur. *Communis*, arg. c. *Aliter* 1, caus. 30, q. 5, can. *Honorantur parentes* 14, caus. 32, q. 2, cap. *Tua nos* 1, De desponsation. impuber., l. *In sponsalibus* 7, § 1, ff. *De sponsalibus*, cum similibus. Vide *infra*, n. 140.

(27. Parentes contrahere possunt sponsalia pro suis filiis puberibus, sive impuberibus; et si ipsi filii expresse vel tacite consenserint, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur ad illa, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. *Communis*, textu expresse, in cap. *Si infantes* unic., § *Porro*, De desponsation. impuber. in 6; ibi: « Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. »

(28. Parentes, nedum contrahere possunt sponsalia pro suis filiis præsentibus, sed etiam pro ipsis absentibus, et sponsalia ignorantibus, et si ipsi filii post scientiam dicta sponsalia ratificaverint expresse vel tacite, obligantur ad illa. *Communis*, textu expresse, in cit. cap. *Si infantes*, § *Porro*, ibi: « Et est idem, si filii tempore sponsalium absentes et etiam ignorantes, eadem sponsalia post scientiam ratificaverint tacite vel expresse. »

(29. Sponsalia contracta a parentibus pro filiis, sive præsentibus, sive absentibus, aut ignorantibus, et nec expresse, nec tacite consentientibus, et a fortiori contradicentibus, sunt invalida et nulla, et nullatenus obligant ipsos filios, nec inde oritur justitia publicæ honestatis. *Communis*, textu ex-

venerit ad pubertatem, potest pro libito illa dissolvere; nisi intercessit copula, cap. 19 *De sponsal.*

presso, in cit. cap. *Si infantes*, § *Porro*, ibi: « Alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit. »

(30. Item invalida et nulla sunt etiam sponsalia contracta a filiis per gravem metum eis a parentibus seu aliis injuste incussum. Sic Abbas, in cap. *Ex litteris* 11, De desponsatione impuber., num. 2; Reiffenstuel, lib. 1 *Decret.*, tit. 40, n. 45, et lib. iv *Decretal.*, tit. 1, n. 13; Rosignol., *De sponsalibus*, 1, contract. 14, prænot. 5, sect. 4, n. 21 et 22, cum pluribus ibi citatis; Sporer, tom. III, part. iv, cap. 1, sect. 2, *De sponsalibus*, n. 170, cum aliis ibi citatis; Layman, lib. iii *Theolog. moral.*, tract. 4, cap. 7, n. 3; Barbosa, lib. ii *Decretal. collectan.*, ad cap. 2, n. 6, *De eo qui duxit in matrimonium*; Joannes Angelus Bossius, *De matrimonio*, contract. cap. 12, n. 238 et seq.; Basilius Pontius, lib. xii, cap. 8, § ultim., num. 75; Pontas, verb. *Sponsalia*, cas. 8, et sic communior et probabilior sententia doctorum, quos citat, et sequitur Sanchez, lib. iv *De matrimonio*, disp. 19, n. 2 et 3; Diana, part. iii, tract. 4, resol. 378, contra alios. Sic etiam videtur statui in c. *Ex litteris* 11, De desponsation. impuber., et arguitur a paride matrimonio, quod ex gravi metu injuste incusso contractum ipso jure nullum est, atque invalidum, textu expresse, in cap. *Cum locum* 14, cap. *Veniens* 15, cap. *Consultationis* 28, De sponsalibus et matrimonio, et patet ex dictis sub verb. MATRIMONIUM, art. 2, n. 4, 5, 6, 7 et 49. Id enim, quod jure statutum est de metu irritante ipsum matrimonium, est quoque intelligendum de metu respectu sponsalium, cum hæc sint via ad illum, et connexorum idem sit iudicium; arg. cap. *Translato*, De constitutionibus, cum similibus; unde etiam leg. *Orator* 16, ff. *De sponsalibus*, in simili habetur, quod prohibitis in persona senatorum nuptiis, etiam sponsalia ipso jure prohibita censeantur; tum quia fieri non potest, ut aliquis promissione sui obligetur ad actum seu contractum invalidum, adeoque cum matrimonio invalide contrahatur a persona gravi metu compulsæ per jura supra adducta, et communem doctorum, etiam sponsalia, seu promissio matrimonii talem personam non obligant, et sunt ipso jure nulla et invalida. Tum etiam, quia omnia, quæ fiunt metu et vi declarantur esse ipso jure nulla, textu expresse in c. *Abbas* 2, De his quæ vi metusve causa fiunt, ibi: « Quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. »

(31. Talia sponsalia ex gravi metu iniuncta neque firmanantur juramento. Sic desumitur ex cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber., et docent Sanchez, *loc. cit.*, disp. 21, num. 3, cum pluribus aliis ibi allegatis; Diana, *loc. cit.*; Sporer, *loc. cit.*, testans ex aliis de communi; Rosignol., *loc. cit.*, n. 21; Natte, consil. 451, n. 3; Seraphinus, *De privileg. jur.*, privileg. 100, n. 11; Barbosa, lib. ii *Decret. collectan.*, ad cap. 2, n. 6, De

eo qui duxit in matrimonium; Coninck, *De matrimonio*, disp. 28, n. 47; Basilius Pontius, lib. xii, cap. 8, § ultim., n. 55; Joannes Angelus Bossius, *De matrimonio*, cap. 12, n. 239; La Croix, lib. vi, part. iii, n. 108; Dominicus Sotus, in 4, dist. 2, q. 1, art. 3, § *Aliud deinde*, et alii plures contra alios. Et ratio est quia juramentum ex genere suo non supplet defectum consensus substantialiter requisiti ad validitatem contractus, ut notant communiter doctores, in c. fin. *De procuratoribus*, in 6. Sponsalia autem per metum gravem iniuncta sunt irrita ex defectu consensus substantialiter requisiti, ut patet ex dictis supra, adeoque per juramentum non possunt absolute revalidari; et confirmatur per text. in cap. *Significavit* 2, De eo qui duxit in matrimonium, ubi expresse statuitur quod ille, qui post matrimonium metu contractum et juratum aliam duxit, debeat permanere cum secunda, et prius matrimonium sit invalidum: tum quia juramentum sequitur naturam, et conditiones actus, et contractus, et obligationis, cui apponitur. l. fin., cod. *De non numerata pecunia*, nisi aliud specialiter expressum habeatur in jure; ergo quia sponsalia gravi metu iniuncta habent hanc naturam, quod sint invalida, et nulla ex dictis supra n. 30, eorum naturam non immutabit, sed sequetur, juramentum adjectum; tum etiam quia votum solemnæ religionis metu gravi emissum est nullum, textu expresse, in cap. *Perlatum* 1, De his, quæ vi metusve causa fiunt; et concordat cap. *Cum dilectus* 6, eod., cum similibus, et patet ex dictis et juribus adductis sub verb. *Metus*, n. 14 et 17. Votum autem solemnæ religionis æque præstans est ac juramentum, adeoque etiam juramentum pari metu præstitum est nullum.

(32. Nec tale juramentum obligat, nec ulla indiget relaxatione aut absolutione Rosignol., l. c., n. 22; et ipso teste Butrius, Panormitan. et doctores communiter in cit. cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber.; Joannes Angelus Bossius, *De matrimonio*, cap. 12, n. 143; Rodriguez, tom. I *Summæ*, cap. 231, conclus. 4, et cap. 244, concl. 4; Azorius, *Instit. moral.*, part. 1, lib. 1, cap. 29, qu. 6; Basilius Pontius, lib. iv, cap. 6, n. 12; La Croix, *loc. cit.*, num. 108; Layman., lib. iii *Theol. moral.*, tr. 4, c. 6, n. 3; Sporer, *loc. cit.*, n. 170, et alii contra alios; et ratio est, quia ut patet ex dictis num. *antedenti*, juramentum adjectum contractui per metum gravem iniuncto non ligat, et nullum est; vinculum autem, quod non est, neque indiget solutione seu relaxatione; hocque clare patet ex cit. cap. *Ex litteris* 11, De desponsat. impuber., ubi est sermo de sponsalibus juratis; tum quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; cap. *Quanto* 18, De jurejurando, can. *Inter cætera* 22, caus. 22, quæst. 4, cum similibus, adeoque non potest obligare ad servanda sponsalia de jure nulla, utpote per iniquum et injustum gravem metum extorta, sicque nulla indiget relaxatione aut absolutione,

cum jus illud ab initio irritet, ut recte dicit La Croix, *loco cit.*, n. 108.

(33. An sponsalia contracta per metum reverentialem sint invalida et nulla, *Vid.* verb. METUS a n. 20, ad n. 24, et discurre proportionaliter, sicut *ibi*.

(34. Sponsalia contracta per metum levem, etiamsi injuste incussum, sunt valida. *Vide* verb. MATRIMON. QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 193, et discurre proportionaliter sicut *ibi*, quia solus, et omnis metus sufficiens ad invalidandum matrimonium, regula generali tradita a Sporer, *loco cit.*, n. 170, est sufficiens ad invalidanda sponsalia.

(35. In foro externo generaliter loquendo, nisi aliunde de intentione constet, censenda sunt contracta vera sponsalia per illa verba, quæ, juxta communem intelligentiam et communem loci usum aut consuetudinem, loquendi veram promissionem futuri matrimonii significant. *Communis*, per clarum text. in cap. *Ex litteris* 6, De sponsalibus, l. *Labeo* 7. ff. *De suppellectili legata*, l. *Semper in stipulationibus* 35, ff. *De regulis juris*.

(36. In specie verba certo significantia et importantia sponsalia sunt sequentia, et similia v. g. «Promitto, me obligo, do tibi filem meam, quod te ducam. *Vel* habeas me infidum, nisi te ducam; *Vel* accipiam te. *Vel* sub mea fide te ducam. *Vel* promitto, me ducturum te in meam, vel in sponsam meam. *Vel* accipiam te in uxorem, si altera respondeat: Ego te accipiam in virum. *Vel* non alium, sed te ducam. *Vel* promitto tibi tecum contrahere matrimonium. *Vel* in crastinum te ducam; » et hujusmodi. Sic expresse tradunt Tamburinus, lib. vii, tract. 3, cap. 2, § 5, n. 7; Sporer, *loco cit.*, n. 179; Gobat, tom. 1, tract. 10, n. 48, testans cum Sanchez, et aliis de communi; Reiffenstuel l. iv *Decret.*, tit. 1, n. 30, ubi sequentia verba tanquam certo signantia sponsalia enumerat. «Promitto tibi matrimonium, et ego tibi. *Vel* obligo me, quod velim tibi nubere. *Vel* te ducere. *Vel* tecum contrahere. *Vel* per fidem meam. *Vel* quam vere vivo. *Vel* quam vere homo sum. *Vel* quam vere ita vocor. *Vel* quam vere honestus sum, ducam te, vel accipiam te, nubam tibi, etc. *Vel* sim nequam. *Vel* sim infidelis, *Vel* diabolus me rapiat, nisi ducam te, etc. *Vel* tu sis futura mea uxor. *Vel* volo te habere pro futura mea uxore. » Quamvis enim non in omnibus supradictis habeatur expresse terminus *Promitto, juro, me obligo*, etc., sed simpliciter dicatur: «accipiam te, ducam te, volo te accipere, ducere, » etc., tamen cum per similia verba, juxta communem intelligentiam, communemque usum et consuetudinem, loquendi vera futuri matrimonii promissio intendatur et significetur, ita sic loquentes et promittentes, vera sponsalia intendisse, præsumi et judicari debet. Arg. cit. cap. *Ex litteris* 6, De sponsalibus, l. *Labeo*, ff. *De suppellectili legat.*, l. *Semper in stipulationibus*, ff. *De reg. juris*, dummodo tamen semper accedat similis reciproca et mutua

utriusque partis promissio per dicta *supra* n. 10.

(37. Verba certo non sponsalia, sed matrimonium significantia sunt sequentia, et similia, v. g.: «Accipio te in meam. *Vel* habeo te in uxorem. *Vel* jam ex nunc reputo te in uxorem. *Vel* jam ex nunc reputo posthac, ab hoc tempore providebo tibi ut meæ uxori. *Vel* semper, seu posthac omnibus diebus vitæ meæ habebō, tenebo te pro mea uxore. *Vel* ex nunc, posthac eris mea uxor. *Vel* ex nunc accipio te in maritum, » et hujusmodi verba mutuo, et reciproce prolata: Quamvis enim ea verba futuri temporis, «mea eris, habebō, tenebo, tractabo, providebo, » ex se significant, et constituant tantum sponsalia, quatenus tamen additur ejusmodi particula: «Jam, ex nunc, semper, omnibus diebus vitæ meæ, etc. » jam important etiam verum consensum de præsentia, adeoque verum matrimonium, etiam ubi receptum est concilium Tridentin. si interveniat legitima parochi et testium præsentia. Sic Tambur., l. *cit.*, n. 29; Sporer, *loco cit.*, n. 10; Gobat, *loco cit.*, n. 51 et seq., et alii passim arg. c. *Si inter virum* 31, De sponsalibus, v. *Add. Cas.* in fine hujus art.

(38. Verba sub dubio constituentia sponsalia, nisi major expressio addatur, sunt sequentia, et similia; v. g.: «Te desponsabo. *Vel* tecum sponsalia contraham. *Vel* volo contrahere tecum. *Vel* placet te ducere. *Vel* propino tibi ad matrimonium. *Vel* promitto tibi amorem et fidelitatem, » et alia hujusmodi; similia enim verba, nisi alia addantur, vel adsint aliæ circumstantiæ, non continent certo, sed tantum dubie promissionem matrimonii, cum si loquamur de ultimis, amor et fidelitas possunt etiam in aliis rebus præstari; vel si loquamur de primis, potest per illa intelligi tantum promissio sponsalium, non matrimonii; et si loquamur de cæteris aliis, per illa significatur tantum animus, seu propositum faciendi sponsalia, seu affectus ad matrimonium; at per illa necdum admittitur obligatio, nisi major expressio addatur, aut tales interveniant circumstantiæ, unde cognoscatur per similia verba sic loquentes vere promittere futurum matrimonium, sicque vera et certa contrahere sponsalia cum obligatione promissum matrimonium realiter effectuant. Sic Gobat, *loco cit.*, a n. 43; Sporer, *loco cit.*, a n. 180; La Croix, lib. vi, part. vi, a n. 126; Reiffenstuel, *loco cit.*, a n. 33, cum pluribus aliis apud ipsos.

(39. Hæc verba: *Non ducam aliam*, seu *Nullam aliam ducam quam te*, vel, *præter te*, aut *nisi te*, probabilius non faciunt sponsalia, nisi aliunde ex circumstantiis alia intentio constet, seu colligatur. Sanchez, lib. i *De matrim.*, disp. 19, n. 5, cum pluribus ibi allegatis; Guttierrez, *Canoniar. qq.*, lib. i, q. 21, n. 13; Layman, *Theol. moral.*, tract. 10, part. 1, cap. 1, n. 2; Sporer, *loco cit.*, n. 183; Alciat. in leg. *Actione*, cod. *De transactione*; Aversa, q. 8, sect. 3; La Croix, lib. vi, part. 3, n. 427, cum aliis ibi citatis; Gobat, tom. 1, tract. 17, n. 60; Reiff.

l. c., n. 33; Tamburinus, *loco cit.*, num. 60; Rota, part. iv, decis. 656, tom. III recent., n. 4; Pontas, verb. *Sponsal.*, cas. 24, et alii plures contra alios: ratio est, quia similia verba faciunt solummodo sensum exceptivum, seu exclusivum, et conditionatam promissionem, nempe, *Si aliquam sum ducturus, ducam te*. Unde quamvis vi talis promissionis eam ducere deberet, si nubere vellet; arg. *Si sterilis* 21, § 5, *De act. empt.*, tamen omnino etiam abstinere potest a matrimonio.

Et sic censuit sac. cong. Concil., in *Vintimiliæ Sponsalium*, die 1 Junii 1709, ubi de sponsalibus contractis sequentibus verbis: «Io infrascritto Antonio Levame dico e prometto di non sposare altra figlia che la signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposare altro giovine che me, *discussis dubiis* 1. An constet de validitate sponsalium inter Antonium Levame et Benedictam Genam, et quatenus *affirmative*, 2. An dictus Antonius Levame sit cogendus, vel potius possit ab eis recedere contrahendo cum altera in casu, » etc., *fuit rescriptum* ad 1. Ex hæcenus deductis non constare de sponsalibus absolutis. Ad 2. *Negative* quoad primam partem et quoad secundam dilata. » Et reposita causa sub consueto dubio, «an sit standum, vel recedendum a decisio, in casu, » etc. Die 28 Septemb. ejusdem anni 1709, dictum rescriptum fuit confirmatum et additum fuit, «Antonium posse cum altera muliere matrimonium contrahere. » Et sic etiam respondit ead. sac. Cong., in *Mediol. Sponsalium*, die 13 Julii 1725.

(40. Non solum verbis seu epistolis similia verba continentibus, sed etiam signis seu factis consensum internum exprimentibus sponsalia contrahuntur. *Comm. arg. c. Cum apud* 23, De sponsal., ubi habetur, etiam mutuo contrahere posse sponsalia, addita hac ratione: «Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare; » et concordat cap. *Tuæ* 23, eod. et cap. *Si infantes unic.*, De desponsat. impub. in 6.

(41. In foro externo, generaliter loquendo, sponsalia contracta esse censentur, ac præsumuntur per illa signa seu facta, per quæ concurrentibus circumstantiis juxta communem intelligentiam, ac usum et consuetudinem loci, voluntas seu sensus internus contrahendi exprimi et manifestari solet. *Communis*, arg. c. *Ex litteris* 7, De sponsalibus, l. *Labeo* 6, ff. *De suppellectili legat.*, et l. *Semper* 34, ff. *De regul. juris*, ibi: «Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est. Aut si non appareat quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(42. Sic concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, seu verbi unius, censentur et præsumuntur contracta sponsalia per immissionem, seu donationem et receptionem annuli. Arg. cap. *Si quis* 13, caus. 26, q. 2, cap. final. *De desponsat. impuber.*; Glossa communiter recepta in cap.

Si inter 32, verb. *Dicente*, De sponsalibus, Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 57; Sporer, *loco cit.*, num. 189; Mascard., *De probationibus*, concl. 1024, n. 2 et seq.; Sanchez, lib. 1 *De matrim.*, disp. 22, n. 3, et alii passim; et ratio est, quia præcedente contractu aut verbo unius de futuro matrimonio, traditio annuli facta a juvene, et acceptatio ejusdem facta a puella secundum communem usum et æstimationem hominum habentur pro certo signo consensus ad futurum matrimonium, adeoque in foro externo per id censentur et præsumuntur contracta vera sponsalia. Arg. cit. cap. *Ex litteris*, cit. l. *Labeo*, et l. *Semper*.

(43. Item concurrente circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per missionem seu donationem, et acceptationem aliorum munerum juxta morem sponso, censentur et præsumuntur contracta sponsalia, Sanchez, *loc. cit.*, n. 5, cum aliis ibi allegatis; Sporer, *loc. cit.*, n. 190; Gobat, *loco cit.*, n. 69; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 59, et alii. Currit enim eadem ratio in simili circumstantia de donatione et acceptatione aliorum munerum, ac de donatione et acceptatione annuli; ubi autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio. L. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop. Cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnatorum*, adeoque, etc.

(44. Item in simili circumstantia præcedentis tractatus matrimonii per porrectionem manus ab uno factam, et ab altera sine renitentia et contradictione acceptatam censentur et præsumuntur contracta sponsalia; Sanchez, *loc. cit.*; Sporer, *loco cit.*, n. 188; Gobat, *loco cit.*, n. 66; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 60, et ipso teste alii communiter per dicta, et jura adducta n. 42 et 43.

(45. Per omnia autem supradicta, si non concurrat circumstantia præcedentis tractatus matrimonii, nec ad hoc speciale quid habeat consuetudo loci, non censentur nec præsumuntur contracta sponsalia in foro externo. Abbas, in cap. final. *De desponsat. impuber.* n. 7; Mascardus, *loc. cit.*, n. 2 et seq.; Sanchez, *loc. cit.*, disp. 22, n. 1; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 66, et alii communiter. Et ratio est, quia donatio et acceptatio annuli aliorumque munerum, sicut porrectio et acceptatio manus, sunt signa et facta æquivoca, cum etiam ob alias causas fieri possint, et soleant, arg. cap. *Illud* 11, De præsumptionibus; fieri enim possunt, ut interdum solent, ob turpem vel etiam castum amorem, ob amicitiam, ob signum memoriam, ob mutuum affectum, aut ob spem futuri matrimonii, adeoque, etc.

(46. Quando verba, signa, aut facta, omnibus consideratis, adhuc remanent dubia, an inducant vera sponsalia, vel non? et qui ea protulit, aut edidit, negat ea protulisse, aut edidisse intentione promittendi matrimonium; tunc judex debet negantem absolvere, præsertim si, ei delato juramento purgatorio, juret absolute non habuisse talem intentionem; in dubio enim magis

presumitur pro libertate, quam pro obligatione l. *Adrianus* 47, ff. *De obligationibus et actionibus*, ibi: « Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum; ubi de liberando ex adverso quaeritur, ut faciliores simus ad liberandum, » et concordat cap. *Ex litteris* 3, De probationibus, ubi expresse dicitur, quod « promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, » et c. *In obscuris* 30, De regulis juris, in 6, ibi: « In obscuris minimum est sequendum, » id est quod minus obligat et operatur quia in dubiis, ambiguis et obscuris recurrendum est ad mentem proferentis, eique saltem jurato credendum. Arg. cap. *Cum in tua* 6, § final. *Qui matrimonium accusare possunt*, et c. *Pastoralis* 4 in fine, *De exceptionibus*, cap. *Præsentium* 31, De testibus, can. *Si verum esset* 1, caus. 31, quæst. 2, cum similibus; et sic in specie tenent Gallus, lib. II *Observat.* 48, n. 24 et seq.; Felinus, in cap. *Quando*, De presumptionibus, n. 6; Reiffenst., *loco cit.*, n. 45, et alii passim; et universaliter quando de mente et conscientia alicujus agitur, statim juramento illius, uti recte docet Glossa communiter recepta in cap. *Significasti* 16, De homicid. voluntar., verb. *Si ita est*.

(47. Quando vero verba, signa aut facta secundum communem usum et consuetudinem loci sunt clara et sponsalia vere significant, tunc negans condemnari debet, nec debet admitti ad juramentum, quamvis dicat se ad obtinendum usum corporis vel ob alium similem finem jocose, sive, dolose aut fraudulenter protulisse, aut edidisse, nisi jocum, fictionem, dolum aut fraudem legitime probaverit: turpitudinem enim suam allegans jam suspectum se facit, et indignum fide, sicque minus habilem ut ei juramentum deferatur; nam « allegans suam turpitudinem non est audiendus, nec fides est ei præstanda, » maxime ubi id potest esse in præjudicium tertii. Arg. c. *Inter dilectos* 8, De donationibus, et Glossa, *ibid.*, verb. *Turpitudinem*, adducens varia jura et alia Glossa, in cap. *Officii*, De poenitent. et remissionib. Hocque satis evincit textus in l. *Mercedem*, cod. *De conduct. ob turpem causam*, leg. *Transactione*, cod. *De transactionib.* Sic expresse, pluribus adductis, detendit Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 7, 8 et 48. *Vide supra* n. 7, et verb. JURAMENTUM, artic. 2, a numer. 25.

(48. Quando verba, signa aut facta clare significant sponsalia, et reus absolute negat se ea protulisse aut edidisse, nec actor id plene probare potest; quid in tali casu facere debeat iudex, et cui juramentum sit deferendum? *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 2, n. 26, et discurre proportionaliter sicut ibi.

(49. Sponsalia vera, quamvis occulta, obligant sub mortali. *Communissima*, argum. cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod « hi, qui matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et mo-

dis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, » et cap. *Ex litteris* 10, eodem titulo, ubi sub excommunicationis poena mandatur, ut qui sponsalia contraxit, præstitam fidem de nubendo observet, ibi: « Mandamus quatenus... enim moneas, et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet; » poena autem excommunicationis non debet infligi, nisi pro peccato mortali, cap. *Nemo* 41, caus. 11, q. 3, ibi: « Non nisi pro mortali debet imponi crimine; » in Ecclesia enim non datur major poena ipsa excommunicatione, can. *Corripiantur* 17, caus. 24, q. 3, ibi: « Qua poena in Ecclesia nulla major est, » adeoque, etc.

(50. Sponsalia obligant tempore ad nubendum præfixo, nisi justa causa excuset. *Communis*, arg. l. *Solutum* 85, ff. *De solutionibus*, ibi: « Solutum solvitur non minus quantitate quam die; » contractus enim ex conventionem legem accipere digneoscuntur, ut expresse dicitur in cap. *Contractus* 85, De reg. juris in 6, et pacta justa servanda sunt, leg. *Si quis in conscribendo* 39, cod. *De pactis*, capit. *Antigonus* 1, et cap. *Qualiter* 3, De pactis, cum similibus.

(51. Et procedit conclusio, quamvis in hoc casu pars altera non urgeat, quia dies statuta interpellat pro homine, arg. cap. *Potuit* 5, De locato et conducto, ibi: « Non obstante quod ei, ut canonem solveret, non existit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellat. » Et concordat l. *Magnam* 12, cod. *De contrahenda stipulatione*, et l. *In Emphyteuticariis* 2, De jure emphyteutico, ubi clare ad rem.

(52. Unde si ratione culpabilis moræ unius, altera pars aliquod damnum patitur, debet illud damnum ei penitus resarcire, arg. c. *Mora sua* 25, De regul. jur. in 6, ibi: « Mora sua cuilibet est nociva, » qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, cap. *Si culpa* 9, De injuriis et damno, l. *Qui occidit* 30, § 3, ff. *Ad legem Aquilianam*.

(53. Si autem intervenerit aliqua rationabilis causa, possunt licite sponsalia differri quoad effectuationem matrimonii, arg. c. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi dicitur, quod ob rationabilem causam possint sponsalia omnino dissolvi, ibi: « Nisi rationabilis causa obstiterit, » unde a fortiori ob eam licite differri poterunt, et ideo *supra* n. 49, fuit notanter dictum: « Nisi justa causa excuset, » quia, ut statuitur cap. *Imputari* 41, De regul. jur. in 6, « imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, » et ex capit. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus ibi: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. »

(54. Si nullum certum tempus sit præfixum ad matrimonium contrahendum, tenetur quisque contrahere altero exigente, quamprimum commode potest. Sanchez, l. 1, *De sponsalibus*, disp. 28, n. 2; Tannerus, tom. IV, disp. 8, q. 1, dub. 3, n. 33;

Pirrhing, lib. IV *Decretal.*, tit. 1, n. 16; Diana, part. III, tract. 4, resolut. 245, et alii plures. Et ratio est, quia id generale est in omni debito, cui dies certus præfixus non est. Non enim prius tenetur debitor solvere, quam creditor postulaverit, l. *Debitoris* 10, De pignoribus; Reiffenstuel autem, *loco cit.*, n. 143; Pontius, Castropal., Coninck., Ledesma, et alii ab ipso ibi allegati tenent, quod sponsalia in tali casu obligent ad contrahendum matrimonium statim, quamprimum commode, et humanitus fieri potest, etiamsi ab aliqua ex spondentibus parte monitio aut requisitio non fiat. At recte Sporer, tom. III, part. IV, cap. 2, n. 420, dicit facile has sententias conciliari, si dicatur obligari quidem statim, quia natura promissionis est ut servetur quamprimum moraliter, et humano modo servari potest, at excusari hujusmodi sponso, quoties alter non requirit, cum posset, quia tunc censetur remittere, et non curare de dilatione, quod et admittit Reiffenstuel ipse *loco cit.*, n. 149, concedendo quod altera pars censetur remittere, si tales adsint circumstantiæ aut signa, ex quibus prudenter colligi possit dictam partem alteram dilatori consentire. Cæterum quoad hoc servandum salutarem monitum sacre congregationis Concilii apud Sporer, *loco cit.*, n. 420, et Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 151, referentes ex Gallemart. dictam sacram congregationem ad Trident., sess. XXIV, capit. 1, sic provide statuisset: « Monendi sunt sponsi ut, factis sponsalibus, quamprimum contrahant matrimonium per verba de presenti coram parrocho et testibus, ne sponsæ stupri periculum subeant. »

(55. Recusans post legitima sponsalia contrahere matrimonium potest, et debet ad id compelli per competentia juris remedia, nisi rationabilis causa obstiterit. *Communis*, ac certa per textum in cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, ubi expresse statuitur, quod « hi, qui de matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent, » et cap. *Ex litteris* 10, eod. tit., ubi expresse mandatur: « Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas, et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. »

(56. Et conclusio procedit, sive sponsalia fuerint jurata, sive non, ut tradunt communiter doctores, et Rota, part. III, recent. decis. 742, num. 1, part. IV, tom. I, decis. 451, num. 2, decis. 666, sub num. 2, adnot. ad decis. 431, num. 62, part. IV, tom. II, et decis. 163, num. 4, et seq., part. IX, tom. I. Et ratio est, quia iudex ecclesiasticus potest et non debet juramentum tantum, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis juris remediis ad observanda promissa et pacta compellere, præsertim ad instantiam partis, cap. *Antigonus* 1, De pactis, ibi: « Aut inita pacta suam obtineant

firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam; » et cap. *Qualiter* 3, eod., ibi: « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur; » juncto ejus summario, ubi expresse dicitur: « Iudex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur. »

(57. Pro compellendo tali renuente contrahere matrimonium, debet iudex ecclesiasticus ante omnia ipsum renuente debito modo monere, adjunctis etiam minis, ut suæ obligationi satisfaciatur, promissum matrimonium contrahendo. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi: « Moneas, et si non acquieverit monitis... compellas; » et concordat cap. *Non invenitur* 41, caus. 23, q. 4, ubi pro ratione et modo præscribitur, ut monitio severitatem præcedat.

(58. Deinde si monitione, et minis iudex ecclesiasticus nihil proficiat cum tali renuente matrimonium contrahere, potest etiam adhibere nedum poenam pecuniariam, sed et carceres, aut alias poenas corporis afflictivas, si eas adhibendi occasionem habeat. Fagnan., in capit. *Pervenit* 2, De adulteriis, a num. 10; Barbosa ad concil. Trident. sess. XXV, cap. 3, *De reformat.*, num. 28; Castropal., *De sponsalibus*, disp. 1, punct. 8, num. 2; Marc. Anton. Genuens. in *Prætic. eccles.*, quæst. 780, num. 4; Antonell., in *Prax.*, lib. V, cap. 2, num. 3 et seq.; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 157, qui testatur supradictos doctores cum communi, et hodie certa asserere, iudicem ecclesiasticum in causis tam civilibus quam criminalibus ad se pertinentibus omnino posse carceribus et aliis poenis corporis afflictivis laicos compellere, quin et debere hoc facere, antequam ad censuras excommunicationis aut interdicti contra eos in præfatis causis procedat.

(59. Et si nec etiam carceratione, aut aliis poenis corporis afflictivis aliquid efficiat, tunc potest et debet renuente etiam censura excommunicationis, ad nubendum compellere. *Communis*, textu expresso, in cit. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ibi: « Et si non acquieverit monitis, ecclesiasticis censuris compellas ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet; » et concordat concil. Tridentin., session. XXV, *De reformat.*, capit. 3, § *Quod si exsecutio*.

(60. Si autem episcopus, non adhibita carceratione, aliisque poenis corporis afflictivis, statim censuras adhibeat pro compellendo ad contrahendum matrimonium tale renuente, illicite quidem, sed tamen valide, agat, et censuræ sic statim inflictæ valebunt. Sic Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, 96, num. 39, et ad concil. Tridentin., sess. XXV, *De reformat.*, capit. 3, num. 21, cum Gutierrez, Campan., Escobar, Mascard., Ant. Genuens. et aliis ab ipso citatis, dict. allegat. 96, num. 39; Reiffenstuel, *loco citat.*, num. 162, et alii. Et ratio est quia concil. Trident., *loco citat.*, non annullat censuram latam contra modum ibi præ-